



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 29. Fœdera Principum adversus Franciæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Maximilianus proposito foederi nomen dare decrevit.

Sæcul. XV.

A.C. 1495.

§. XXIX.

Fœdera Principum adversus Franciæ Regem.

Prima hujus foederis consilia jamjam cudebantur, dum Rex Florentiam petebat, illiusque præcipuos Auctores fuisse Venetos, atque Ludovicum jam supra meminimus: postquam vero Augustinus Barbadicus tum Venetorum Dux a Gal-
 lis Neapolitanas arces expugnatas compererat, ulterioris moræ impatiens, frequenter consilia habuit cum Episcopo Tridentino, qui præcipue Imperatoris res curabat, necnon cum Laurentio Suarezio Figueroa, & Francisco Bernardino Vicecomite, quorum prior Regum Catholicorum, alter vero Ludovici Sfortiæ Mediolanensis Ducis Orator erat; demum re inter eos conventa Barbadicus Cossinæum Franciæ Legatum rogari fecit, ut Senatū adiret. Eoque præsentē Dux exposuit, quod Veneti armorum societatem iniissent cum summo Pontifice, Cæsare, Castellæ & Arragoniæ Regibus, & Mediolanensium Duce, omnesque ad ejusmodi foedus tribus potissimum rationibus fuerint permoti, quarum prima erat, ut fidem Catholicam adversus Turcas tueren-

Comm. l. 7.

c. 14. p. 73. &

seq.

Albinus de

bell. Gall. lib.

6. p. 135.

Mariana

lib. 26. c. 7.

& 9.

Sæcul. XV.
A. C. 1495.

tuerentur, II, ut Italiæ libertatem conseruarent, & III. ut contra Gallorum insultus horum Principum ditiones propugnarent, additque, a Venetorum Republica Oratorem suum, qui apud Regem Francorum Legatione fungeretur, redire iussum esse, palam tamen se profiteri, foederatos hosce Principes nequaquam aduersus Galliarum Regem hostilia moliri consilia, sed unice in id intentos esse, ut contra ejusdem progressus propriæ suæ securitati prospicerent.

§. XXX.

*Secreta & publica fœderis
pacta.*

*Guicciard.
ibid. l. 2.*

Hoc fœdus, quod ineunte mense Aprili utrinque firmatum est, mox promulgabatur, Gallosque non minori terrore, quam cunctos, qui illis minus propensi erant, lætitia afficiebat. Ergo optata hæc armorum societas sonantibus tubis, solemnique pompa proclamatur; alia quidem illius pacta omnibus publicabantur, alia vero religioso premebantur silentio. Prioribus sancitum: I. Fœderati instruant, atque intra Italiam exercitum quadraginta Equitum, atque octoginta peditum millibus numerosum alant. II. Cæsar, ac Castellæ Rex validis copiis in Gallias irrumpant, ille qui-